





DE  
CONSILIO MOSIS  
IN TRANSCRIBENDO DOCUMENTO EO  
QVOD GEN. II. ET III.  
ANTE OCVLOS HABVISSE VIDETVR.

---

COMMENTATIO EXEGETICA

QVA

AD

AVDIENDAM ORATIONEM  
PROFESSIONIS THEOLOGICAE  
ORDINARIAE

IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
ADEVNDAE CAUSA

D. XV. OCTOBR. MDCCLXXXIX.  
HABENDAM

HVMANISSIME INVITAT

D. DAVIDES IVLIVS POTT

PROFESSOR THEOLOGIAE PVBL. ORD.

---

HELMSTADII

EX OFFICINA M. G. LEVCKART ET FILII.

*Quod d. 10. Oct. 1789.*

1700

1701

1702

1703

1704

1705



§. I.

Geneſeos capita priora inter vexatiſſima explicatuque longe diffiſſillima codicis ſacri loca referenda eſſe, omnes omni tempore iudicarunt ſacrarum literarum periti. At vero, ex quo ASTRVC, <sup>1)</sup> IERUSALEMIVS, <sup>2)</sup> cuius vitam atque virtutem immortalitas nuperrime exceperit, et Cel. EICHHORNIVS, <sup>3)</sup> in argumentum atque oeconomiam Geneſeos penitius inquirentes, hunc librum ex variis, iisdemque antiquiſſimis documentis a Moſe compoſitum eſſe viderunt, argumentisque confirmaverunt; ex tenebris quaſi et caligine vix ſperatam lucem aſpeximus. <sup>4)</sup> Ante omnia vero interpretationi cap. II. et III. huius libri, ſiue ipſum argumentum, ſiue nexum cum cap. I. reſpexeris, optime conſulitur, ſi vtrumque hoc caput pro antiquo documento, ab eo, quo Moſes in conſcribendo

A 2

cap.

<sup>1)</sup> Conjectures ſur les memoires originaux, dont il paroît, que Moÿſe ſ'en eſt ſervi, pour compoſer le livre de la Geneſe. a Bruxelles 1753. 8.

<sup>2)</sup> Briefe über die Moſaiſchen Schriften und Philoſophie.

<sup>3)</sup> Einleitung in das A. T. Tom. II. §. 417. p. 261. ſeqq. ed. 1787. His annumerari quoque poſſeſt Io. Jac. Schultens diſſert. qua diſquiritur, vnde Moſes res, in libro Geneſeos deſcriptas, didi-

derit. Exſtat etiam in Jo. Oelrichs Belgii literati opusculis hiſtorico-philologico-theologicis. T. I. p. 247 ſeqq.

<sup>4)</sup> Simile quid ex veteribus ſcriptoribus iam ſuſpicati, ſed non ulterius perſequuti ſunt: Clericus de ſcriptore Pentateuchi §. II. R. Simon hiſtoire critique du V. T. L. I. c. 7. Fleury moeurs des Iſraelites p. 6. Le Francois preuves de la religion chretienne. T. I. P. II. c. 3. art. I.

cap. I. vsus esse videtur, prorsus diuerso, et ab alio auctore confecto, habeatur; id quod ulterius hic persequi nolo, cum ex scriptis EICHHORNII <sup>5)</sup> iam satis notum sit. Sed vel in adhibendo egregio hoc interpretationis subsidio, perardua tamen, multisque difficultatibus obstructa mihi quidem semper visa est huius documentum explicatio, si, quae vulgaris est sententia, *creationem totius vniuersi, tam coeli quam terrae, his capitibus contineri,* <sup>6)</sup> *integrumque hoc documentum, ambitu eo, quo ab antiquo auctore conscriptum erat, a Mose in commentarios suos susceptum esse, statuendum fuerit.* Equidem saltem, sic statuens, titulum huius documentum: *אלה תולדות השמים והארץ*, Gen. II, 4. cum ipso argumento conciliare, perturbatumque hic illic rerum enarratarum ordinem explicare, aliasque difficultates, ex hac adsertione oriundas, <sup>7)</sup> dirimere nunquam potui sic, vt nullum amplius de interpretatione mea dubium in animo remaneret.

## §. II.

Quæ cum ita esse deprehenderem, incidi in qualemcunque sententiam hanc: *antiquissimum illud literarum monumentum, (quod Moses in conscribendis capp. II et III ante oculos habuisse videtur,) prouti ab antiquo auctore, quisquis fuerit, confectum erat, plura continuisse, et tam coeli, quam terrae, a Deo conditae,*

<sup>5)</sup> *Einleitung l. c. et Urgeschichte p. 173 seqq. (Exit. egregia haec commentatio, qua in explicandis prioribus Geneseos capitibus, valde me semper adiutum sensi, in Repert. f. bibl. und morgenl. Litt. T. IV. p. 129 seqq.)*

<sup>6)</sup> EICHHORNII *Urgesch. p. 176. et 177. sic habet: Das zweyte Capitel geht offenbar wie-*

*der in den Inhalt des ersten zurück, und beschreibt die Entstehung der sensuellen Welt, über die sich das erste schon so weitläufig verbreitet hatte, aufs neue, nur mit Rücksicht auf einige andre Punkte der ersten Geschichte der Menschen. Cf. loca infra not. 18 et 21 citata.*

<sup>7)</sup> *Vid. §. III. seqq.*

ditae, historiam enarrasse; *Mosen vero non tam id egisse, ut totum hoc documentum ab initio usque ad finem transcriberet, quam potius, ut missis iis, quae de coeli creatione memoriae hic prodita erant, ex narratione de terrae ortu ea tantum exciperet, quae ad hominem potissimum a Deo creatum spectabant, et ab enarranda hominis creatione commode seiungi non poterant. Iam singula figillatim pertractanda, intelligentiorumque iudicio permittenda sunt.*

§. III.

I. Quod primo loco posuimus, "antiquissimum illud literarum monumentum ex consilio veteris auctoris tam coeli quam terrae creationem atque adeo plura complexum esse, quam quae a *Mose Gen. II. et III. exhibentur,*" ipsam huius documenti inscriptionem: אלה תולדות השמים והארץ בהבראם, creatio, f. historia creationis tam coeli quam terrae, fatis declarare putaverim; siquidem de coeli creatione (תולדות השמים) utroque hoc capite ne verbum quidem occurrit, de terrae ortu (תולדות הארץ) vero, pauca tantummodo, eaque transeundo quasi commemorantur.<sup>8)</sup> Videtur ergo hic deesse ea huius documenti pars, qua narratio de coeli ortu omnino, et copiosior terrae a Deo creatae descriptio continebatur.<sup>9)</sup>

Sed plura hic mihi non sine veri speciei obiecti posse sentio:

*Primum enim, dicere aliquis possit, comma 4. cap. II. non tam ad ea quae sequuntur referendum, quam potius ad ea quae praecedunt reiciendum, adeoque minime pro initio sine titulo eius documenti, quod cap. II. et III. continetur, sed pro fine praecedentis documenti, quod cap. I- II, 3. absoluitur, habendum esse, ita ut sensus oriatur fere hic: "desinit narratio de coeli terraeque creatione." At vero, cum Deus cap. I- II, 3. semper אלהים, cap. II, 4. - III. fin. vero plerumque יהוה אלהים vocetur, ipsum illud*

A 3

<sup>8)</sup> Cf. §. V.

<sup>9)</sup> Vid. §. V.

illud nomen summi numinis יהוה אלהים etiam comma 4 cap. II, quo Deus eodem nomine venit, sequentibus vindicare videtur. <sup>10)</sup> Dixeris forsan, nomen יהוה a Mose ad polytheismum coërcendum sapientissime inuentum, et, vbicunque occurrat, ab eo narrationi veteri semper adpersum esse, et declararet אלהים, deos, de quibus carmina antiqua referunt, neminem alium esse, ac esse posse, quam Iehouam, Deum Israelitarum; adeoque argumentum illud, pro diuersitate huius documenti ab eo, quod cap. I-II, 3. et ab alio, quod cap. IV. continetur,

<sup>10)</sup> Omnino quidem cap. III. etiam nomen אלהים occurrit, sanamque esse hanc lectionem in vnanimi codicum, qui eam tuentur, consensu, dubitari nequit; (cod. 132. ap. Kennic. cap. III, 1. pro יהוה אלהים quidem habet יהוה אלהים, sed vti hic cod. omnino leuioris est momenti, sic quoque haec lectio saltem ad v. 3. et 5. quibus etiam אלהים occurrit, vlllo modo transferri nequit;) sed, et ad id quidem praecipue attendi velim, auctor documenti nostri יהוה אלהים tantum adhibet, vbi serpentem atque Euam inuicem colloquentes inducit (vid. cap. III, 1-5.) praeterea vero per totam narrationem Deum semper vocat יהוה אלהים. Iam vero, quod in hoc potissimum colloquio nomen אלהים deprehenditur, eius rei causa forsan inde repetenda est, quod, cum אלהים magis vetustum atque vsitatum, אלהים יהוה vero recentius parumque solenne numinis diuini nomen fuisse videatur, auctor

huius documenti, temporis instituti colloqui istius ratione habitata, adhibendo antiquiori et vltiori nomine אלהים colloquio a se enarrato fidem atque probabilitatem conciliare voluerit, quam quidem recentiori isto nomine יהוה אלהים in vetustissimum illud colloquium translato, sine dubio infregisset atque comminisset. Idem vel simile quid etiam EICHHORNIVM statuisse crediderim, quippe qui, quamuis אלהים cap. III, 1. 3. 5. occurrere eum fugere non poterit, voc. יהוה אלהים tamen semper, nulloque commate excepto, cap. II, 4. - III. fin. obtinere, contendere haud dubitat. Verba eius haec sunt: (Einl. T. II. §. 417. p. 262.) *Im ersten Kapitel bis zum vierten Vers des zweyten wird von Gott ohne Ausnahme Elohim, und von da wiederum bis zum Ende des dritten ohne Ausnahme Jehovah Elohim gebraucht. Eadem etiam leguntur: Vrgeschichte p. 174. et 175.*



continetur, ex formula יהוה אלהים repetitum, valde dubium atque ambiguum esse. Sed, si Moses Gen. II. et III. nomen יהוה vocabulo אלהים addidisset, idem illud eum etiam cap. I. facturum fuisse crediderim.

Deinde vero commatis quarti membrum prius תולדות אלה כהבראם ad cap. primum referendum, capitis secundi initium vero verbis עשות ביום etc. faciendum esse, videri possit, ita vt sensus prodeat hic: "*cum Deus coelum terramque creasset, nulla adhuc in terris planta exorta, et s. p.*" vetusque auctor non tam coeli terraeque creationem, quam potius *ulteriorem terrae formationem* describere voluisse putandus sit. Sed vti hoc potissimum veteris auctoris in conficiendo documento nostro consilium fuisse vix probabile est, (vid. ea quae sequuntur,) sic etiam ipsum scribendi genus V. T. scriptorum, ex quo singulis periodis vel commatibus duo, quae vocant, membra inesse solent, hanc iungendi rationem vix admittere putauerim.

Porro autem, si vel maxime totum comma 4. cap. II. pro titulo huius documenti habendum esse, statuendum fuerit, hunc ipsum tamen titulum ita explicari posse, forsan aliquis dicat, vt cum argumento cap. II. et III. bene conspiret, dummodo voc. שמים h. l. non de coelo omnino, sed de aëre potissimum, siue, (cum illius aëri homines aëris, sensu eo, quem nos huic vocabulo subicere solemus, vix notionem habuisse videantur,) regione ista, terram inter et reliqua aëra, intelligatur, sensusque huius commatis constituatur fere sic: "de creatione rerum earum, quae tam in aëre quam in terra versantur," (von den Zeugungen oder Geburten in der Luft und auf der Erde,) vel si solennem vocabuli תולדות significationem retineri placuerit: "historia vltioris tam aëris quam terrae formationis," (Geschichte oder Nachrichten von den Veränderungen, welche Luft und Erde betroffen haben.) ita vt vetus ille scriptor ipsam coeli terraeque creationem tanquam

quam rem satis notam spectasse, et nonnisi continuatam rudis materiae, iamiam creatae, formationem describere voluisse videatur. Sed quamuis voc. שמים *aërem* interdum significare, dubio careat, cf. Gen. I, 26. hoc tamen nexu non separatim et per se, sed iunctim cum והארץ spectandum esse censuerim, quo quidem nexu שמים *coelum omnino*, שמים והארץ *vero totum uniuersum*, sensu atque ambitu eo, quo veteres illud animo concipere poterant, significare solet. Gen. I, 1. alibi. Quid? quod in toto hoc documento separatarum a terra aquarum ne verbo quidem mentio fit; quam tamen rem in describenda rudis materiae formatione vix, ac ne vix quidem, praetermitti potuisse existimauerim; nisi forte dixeris, auctorem huius documenti terram a mari iam separatam sibi animo finxisse. Nec denique, veterem illius aevi scriptorem, missa ipsius coeli terraeque *creatione*, ipsas aëris terraeque *mutationes* tractandas sibi sumturum fuisse, persuadere mihi possum. Verbo, tota haec ratio, vt dicam, quid sentiam, aliquantum coacta et longius repetita mihi quidem videtur.

*Denique non tam ex tituli quam potius ex ipsius argumenti cap. II. et III. interpretatione, vtriusque inuicem conciliandi auxilium repeti debere, videri possit; sed de hac quidem ratione infra disputandi locus erit.* <sup>11)</sup>)

#### §. IV.

II. Iam vero, si Mosen *non integrum* illud documentum, quod in conscribendis capp. II. et III. ante oculos habebat, in commentarios suos transcripsisse, argumentis satis firmis me confirmasse, et ab obiectionibus rite vindicasse, persuadere mihi possum; sponte iam sequi, novisque argumentis haud indigere putauerim: *Mosen ex antiquo illo literarum monumento nonnulla tantum hausisse, suae excerpisse.* (vid. §. II.)

Fieri

<sup>11)</sup> Vid. §. V.

Fieri tamen potuisse, forsan dixeris, vt nonnisi fragmentum huius documenti ad Mosen perlatum sit, ita vt Moses non tam ex pleniori et ampliori documento hausisse, quam potius fragmentum illud transcripisse videri possit; sed cum ea, quae Gen. II. et III. desiderantur, in initio potissimum huius documenti, et statim post titulum deesse videantur, ipsum etiam titulum periturum fuisse putauerim, si fragmentum tantum huius documenti superfuerit.

Quodsi vero ex me quaesueris, cur Moses, cum totum hoc documentum commentariis suis inferere noluerit, titulum tamen, excerpto minus congruum, transcripserit? responderim equidem, titulum quodammodo pro *citato*, quod vocant, habendum esse, quo quidem adscribendo Moses, se ea quae sequuntur ex documento quodam, (quod forsan coaeuis suis sub titulo isto satis notum erat,) hausisse, indicare voluisse videtur.

#### §. V.

III. Superest, vt Mosen, in narratione sua Gen. II. et III. ex antiquo isto documento haurienda, *illud potissimum consilium sequutum esse demonstramus, vt omittis iis, quae de coeli creatione memoriae hic prodita erant, ex narratione potius de terrae ortu ea tantum transcriberet, quae ad hominem a Deo creatum spectabant, et ab enarranda hominis creatione commode seiungi non poterant.* <sup>12)</sup> Plura pro tuenda hac adsertione in promptu sunt argumenta, alia aliis firmiora.

Primum enim, si, narrationis Mosaicae Gen. II. et III. nulla ratione habita, rem spectaueris, Moses, qui non tam id agebat, vt documenta ista in scriptis suis asseruaret, quam potius, vt ex iisdem inter se connexis temporum antiquissimorum historiam componeret, actum sine dubio egisse putandus esset, si historiam creationis tam coeli quam terrae, quam ve-

B

teris

<sup>12)</sup> Vid. §. II.

teris cuiusdam documenti ope cap. I. iam enarrauerat, ex alio quodam documento, quo forsan haud copiosius commemorata erat, iterum transcripisset; contra vero, si omiſſis his, ea tantummodo ex altero hoc documento hauserit, quae ad hominis a Deo creati conditionem spectabant, quippe quam auctor documenti eius, quo Moſes in conſcribendo cap. I. uſus eſt, uerbo uix tetigerat; Moſen boni hitorici partes probe expleuiſſe, quiſque iudicabit.

Iam uero ſi narrationem Moſaicam ipſam inſpexeris, ſingulaſque rerum περιγραφῆς inuicem contuleris, omnia cum hoc quidem conſilio optime congruere uidebis. Nam de coeli creatione, quae itidem, ex noſtra ſententia, documento eo continebatur, quod Moſes ante oculos habebat, <sup>13)</sup> ne uerbum quidem hic occurrit, nimirum quia ab exponenda hominis creatione commode ſeiuungi poterat. Ea uero, quae v. 5-15. commemorantur, terram ſcilicet graminibus et arboribus exornatam eſſe, ita comparata ſunt, ut ab enarranda hominis creatione, deſcribendaque ipſius conditione nullo modo diuelli potuerint, ſiquidem his commatibus tum ipſius hominis a Deo creati, <sup>14)</sup> tum regionis iſtius mentio fit, <sup>15)</sup> in qua fruſtuum iucunditate allicitus, praeceptum diuinum migrare commemoratur. <sup>16)</sup> Reliqua uero, quae inde a v. 16. cap. II. ſin. cap. III. leguntur, proxime ad hominem a Deo creatum ſpectare, uix eſt, quod moneamus.

Denique lacuna iſta, quae ſtatim in principio huius documenti animaduertitur, facilis eſt expletu, rerumque enarratarum congeries, quae ineſt vv. 18. 19. facile expediri poteſt, ſi haec de conſilio Moſis in transcribendo hoc documento ſententia ſatis probari poſſe uideatur. Nimirum Gen. II, 4. 5. Moſes ſtatim poſt titulum, quo hitoria creationis tam coeli quam

<sup>13)</sup> Cf. §. III.

<sup>14)</sup> Vid. v. 7. coll. v. 5.

<sup>15)</sup> Cf. v. 8-14.

<sup>16)</sup> Vid. cap. III.

quam terrae promittitur, sic pergit: "nulla adhuc in terris  
 "planta, nullaque herba exorta, et f. p." Quis, quaeso, ora-  
 rationem hic inhiare non sentiet? quis coeli terraeque crea-  
 tionem ab auctore praemitti debuisse, non iudicabit, antequam  
 ad narrationem de terra a Deo ulterius formata descenderet?  
 Sed quid mirum, hanc potissimum lacunam hic deprehendi,  
 cum Moses, admissa adsertione nostra, pro instituti sui ratione,  
 hanc creationis historiam ante v. 5. consulto omisisse putandus  
 sit; quam quidem si hac vel illa ratione mente suppleueris,  
 lacunam hanc expletam, totamque narrationem bene proce-  
 dere videbis. — Gen. II, 18. 19. vero rerum enarratarum ordo  
 admodum perturbatus esse videtur, siquidem in media narra-  
 tione de Eua, ex costa Adami formata, creationis animalium  
 quam tamen loco magis idoneo copiosius commemoratum iri,  
 evspectare licuerit, transeundo tantum mentio fit. Sed et  
 haec difficultas prorsus evanescere videtur, si verba ויצר השמים  
 v. 19. non a veteri huius documenti auctore proficisci, sed a  
 Moise hic inserta esse, nobiscum censueris. — His iam ita ex-  
 plicatis tota narratio, rerum commemoratarum serie haud  
 interrupta, procedere, beneque cohaerere mihi quidem vide-  
 tur. Oritur enim vetus scriptor in ea huius documenti  
 parte, quam Moses hic nobis asseruavit, a describenda rudi  
 terrae forma, quippe quam herbis graminibusque destitutam  
 fuisse dicit, *tum*, quia nondum pluerit, *tum*, quia homo nondum  
 adfuerit ad humum colendam: mox vero vaporem ex terra  
 exhalavisse, qui vniuersum eius solum irrigauerit, hominem-  
 que a Deo ex pulvere formatum esse, commemorat. v. 5 - 7.  
 Iam *illud* fusius explicatur v. 8 - 14, quibus regio quaedam  
 in Edene praecipue arboribus a Deo exornata esse dicitur,  
 situsque huius regionis describitur; *hoc* vero copiosus expo-  
 nitur v. 15 - fin. cap. II, et quidem addita etiam mulieris crea-  
 tione.

tionem. Quibus quidem sic pertractatis, narratio de priorum hominum conditione atque fati cap. III. subiungitur.

EICHHORNIVS vero, qui hoc documento narrationem de coeli terraeque creatione contineri, statueret videtur, <sup>17)</sup> Gen. II, 5. seqq. ita explicat, vt hiatus commati 5 haud inesse videatur. Ex veteri enim dicendi genere partem, vt aiunt, pro toto, remque vnam pro plurium rerum ambitu ponere solere ratur, versibus 5-9, quibus terra herbis destituta fuisse, dein vero iisdem exornata esse dicitur, inesse arbitratur sententiam hanc: *nil quondam ita existisse, vti nunc existat, tum vero omnia ita esse coepisse, vti iam nunc sint;* <sup>18)</sup> (ex qua quidem

17) Vid. not. 6. 18. et 21.

18) Cf. *Vrgeschichte* p. 177-179. Dies Document muß zu einer Zeit verfaßt seyn, wo es noch der Sprache des Vrhebers an allumfassenden Ausdrücken mangelte, wo man also Theile nennen mußte, um Begriffe vom Ganzen zu geben; mit einem Worte, in der Kindheit der Welt, wo dem Menschen noch der umfassende Blick mangelte. — Wenn daher der Verfasser unsrer Urkunde den so viel in sich schließenden Satz ausdrücken wollte: "es gab eine Zeit, wo noch nichts so war, wie's itzt ist," so mußte er einige itzt gewöhnliche Veränderungen sammt den Ursachen nennen, durch die sie zur Wirklichkeit kommen. Er wählte dazu das grüne Kleid, das jährlich die Erde im Frühlinge anlegt, und im Herbst wieder abwirft. "Noch war kein Busch

"des Feldes auf der Erde, noch kein Gewächs des Feldes gesproßt." Hiermit war aber noch nicht der ganze Gedanke geweckt, der beym Leser erwecken sollte, noch war ihm nicht mehr gesagt, als: "es war das noch nicht da, was itzt da ist," aber er sollte davon belehrt werden, daß "nichts noch so da war, wie's itzt da ist." Wenn itzt die Erde ihre Gewächse hervorbringen soll, so muß sie vom Regen getränkt, und durch den Fleiß der Menschen bestellt werden. Daher fügte der Verfasser noch hinzu: "denn noch hatte es nicht geregnet, und noch war kein Mensch die Erde anzubauen da."

Der nächste Gedanke war: "darauf steng aber alles so zu seyn an, wie's itzt ist." Wolte der Verfasser seinem Ausdrücke treu bleiben; so mußte er erzählen,

dem interpretatione etiam coeli terraeque creatio his verbis commemorari, sicque titulus huius documenti cum argumento congruere videri possit.<sup>19)</sup> — Quod vero attinet ad perplexum in rebus narratis inuicem iungendis neftendisque ordinem, qui in vv. 18. 19. cernitur, Vir cel. hunc inde natum esse existimat, quod vetus huius documenti auctor, narrationis apte diligenterque dispositae imperitus, res, quas memoriae prodere volebat, prouti in mentem veniebant, inuicem connexuisse videatur; quo factum sit, vt, cum non omnia loco iusto atque idoneo commemoraret, nonnulla, eaque, ad narrationem hic illic intelligendam, scitu maxime necessaria, (vti v. 19. creationem animalium) loco minus apto atque idoneo infereret.<sup>20)</sup> Sed, quamuis veterum scripta, ex aequo

B 3

quo

len, daß der Cirkel von Veränderungen in der Luft anfieng, der den Regen gebiehr. "Nebel stiegen von der Erde auf, und" — vielleicht: fielen wieder in Tropfen herab? — Nein, denn der Regen wird nach seiner Befruchtung des Erdbodens betrachtet; hierauf mußte sich auch der Ausdruck genau beziehen: folglich: — "tränkte die Erde."

<sup>19)</sup> Vid. §. III. fin.

<sup>20)</sup> Cf. *Vrgesch.* p. 180. 181. Un- erfahrenheit in der Kunst zu erzählen ist Schuld daran, daß der Verfasser nicht alle Begriffe in die Ordnung stellt, in der sie stehen sollten, daß er nicht alle Theile, von denen er reden will, da- nennt, wo sie hütten genannt wer-

den sollen, wenn sein Leser mit ihm seine vollen Gedanken denken sollte. Aus ihm spricht die einfältige kunstlose Natur. Ganz voll von dem, was er erzählen will, setzt er oft Dinge voraus, die er weiß, als ob sie auch denen bekannt wären, welchen er erzählt. Daraus entstehen Lücken in der Geschichte, die er nur dann ausfüllet, wenn ihn eine besondre Veranlassung dazu zwingt. Bis- weilen aber läßt er sie leer, und dann muß erst der spätere Leser die Füllsteine auffuchen. — Vnten, wo er melden wollte, daß Adam eine Zeitlang nicht in Gesellschaft der Eva im Paradies gelebt, und daß er bey seinem Vn- gange mit den Thieren eine Lücke in der Schöpfung bemerkt habe, begegnet

quo scripserunt, cogitandi atque dicendi genere potissimum explicanda esse, persuasissimum habeam; vereor tamen, ne, haec loca ita explicantes, auctori huius documenti, dicendi imperitiam, et in narrando negligentiam tribuamus, cui vix obnoxius fuisse videtur. Nam quomodo vetus ille scriptor in enarranda coeli terraeque creatione, ad exprimendam sententiam hanc: nihil aliquando fuisse, tum vero omnia existisse, etiamsi vel maxime verbis, ad nihili et uniuersi notiones exprimendas caruerit, potissimum dixerit: *herbas nondum in terra fuisse, dein vero progerminasse*, nec potius: *coelum et terram*, (quae tamen vocabula ei fatis trita erant,) *olim nondum fuisse, tum vero existisse*: et quomodo creationis animalium, vberiori explicatione dignissimae, transeundo tantum mentionem facere potuerit, me quidem non prorsus perspectum habere, ingenue fateor, praecipue cum in documento praecedente Gen. I, quod tamen ab eiusdem aevi scriptore proficisci videtur, et in ipso documento nostro cap. III. omnia, rerum enarratarum serie parum interrupta, sese excipiant. <sup>21)</sup>

Sed

*begegnet ihm dieser Fall. Adam soll mit Thieren umgegangen seyn, und doch war der Schöpfung der Thiere noch nicht gedacht. Dieser Unbequemlichkeit abzuhelfen, wird zwischen dem ersten Satze (v. 18.) "Adam war eine Zeitlang ohne Gesellschafterin" und dem zweyten (v. 20.) "bey seinem Vrgange mit den Thieren erwachte in ihm die erste Sehnsucht nach einer Gesellschafterin" die Schöpfung der Thiere selbst (v. 19.) eingeschoben.*

<sup>21)</sup> Praeterea Cel. EICHHORNI-  
vs rerum enarratarum ordinem  
et eo perturbatum esse censet,  
quod auctor huius documenti  
terram he-bis arboribusque in-  
structam esse dixerit, priusquam  
terram ipsam a Deo creatam esse  
commemorauerit. Sed en ipsa  
verba eius: (*Vrgesch. p. 180.*)  
*Gleich im Anfange (v. 5.) ist*  
*das Gemälde von dem, was ehe-*  
*dem nicht existirte, viel zu man-*  
*gelhaft entworfen, als daß alle*  
*Theile der folgenden Schöpfungs-*  
*geschichte*



Sed haec omnia, cum mente magis percipi, quam verbis explicari posse sentiam, vniuscuiusque sensui interno, pro ingenii, aetatis, aliarumque rerum varietate admodum diuerso, relinquenda esse censeo.

Restat vt, cuius causa haec scripta sunt, diem indicam mihi laetissimum, quo munus Professoris theologiae ordinarij in hac literarum vniuersitate, summa SERENISSIMI BRVNOCENSIVM AC LVNEBURGENSIVM DVCIS CAROLI GVILIELMI FERDINANDI clementia, SVMMORVMQVE VIRORVM, QVI OPTIMO

geschichte genau und ungewungen daraus fließen könnten. Noch, sagt der Verfasser, war kein Busch des Feldes auf der Erde, noch kein Gewächs des Feldes gesproßt. Er erwähnt nicht, daß es eine Zeit gab, wo weder Land, noch irgend ein Gewächs in seinen Erstlingen von Gott geschaffen war. Wie er nun seiner Absicht zu Folge erzählen wollte, daß alles so zu seyn angefangen habe, wie's itzt ist, daß der Mensch entstanden sey, der die Erde baue, und die Gewächse warte: so bemerkt er die Lücke, schiebt also gleich nach der Schöpfung des Menschen die Entstehung des Erdbodens, den der Mensch bauen, und der Pflan-

zen, die er warten sollte, ein. Daher steht schon im 7ten Vers sein erster Satz: "Gott schuf den Menschen," und erst im 15ten konnte der zweyte "um die Erde zu bauen" nachfolgen. At vero v. 8. 9. non tam de creatione terrae omnino, quam potius de regione ista in Edene, quam Deus priorum hominum sedem esse voluit, arboribus exornanda, sermo esse videtur. Quod vero duo ista, alterum hoc: hominem creatum esse, alterum illud: vt terram coleret, tanto intervallo inuicem distent; eius rei causa in ipsa rerum ab auctore commemorandarum dispositione, quam supra indicare conati sumus, latere videtur.

OPTIMO PRINCIPI A CONSILIIS SANCTIORIBVS  
 SVNT, singulari fauore mihi demandatum, sollemni oratione,  
 ex instituto maiorum, recitanda, inire, et pii gratique animi  
 declarandi officio me exsoluere, constitutum mihi est. Quam  
 quidem sollemnitate, vt praesentia sua ornent, meque *de*  
*veterum Graeciae Latiique scriptorum sedula lectione a theologo*  
*haud negligenda breuiter differenter beneuole audire dignen-*  
*tur, Magnificum huius Academiae Prorectorem, caeterosque diui-*  
*narum humanarumque literarum Professores Summe Reuerendos,*  
*Consultissimos, Experientissimos, Celeberrimos, Ciuitatis Proceres*  
*Amplissimos, Doctores et Fautores literarum in hac vrbe omnes,*  
*Commilitones imprimis Generosissimos, Nobilissimos, Doctissimosque,*  
 omni qua par est obseruantia atque humanitate oro rogoque.  
 Dabam Helmstadii d. XIV. O&. MDCCLXXXIX.



Fol 1297

ULB Halle


3


003 006 867



f  
56







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue



DE  
LIO MOSIS  
ENDO DOCUMENTO EO  
GEN. II. ET III.  
S HABVISSE VIDETVR.

TATIO EXEGETICA

QVA  
AD

M ORATIONEM  
S THEOLOGICAE  
DINARIAE

IA IVLIA CAROLINA  
VNDAE CAUSA

TOBR. MDCCLXXXIX.  
ABENDAM

ISSIME INVITAT

S IVLIVS POTT  
HEOLOGIAE PVBL. ORD.

ELMSTADII

G. LEVCKART ET FILII.

8

h.

*Handwritten signature*